

IN FESTO S. CATHARINÆ.

EVANGELIUM. MATTH. XV.

In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obviam sponso et sponsæ: quinque ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes. Sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus non sumpserunt oleum secum, prudentes vero acceperunt oleum in vasis cum lampadibus. Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes ac dormierunt. Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, et ornaverunt lampades suas. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur: responderunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat vobis et vobis, ite potius ad vendentes, et emite vobis. Dum autem irent emere, venit sponsus: et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua. Novissime vero veniunt et reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis: at ille respondens, ait: Amen, amen dico vobis, nescio vos: vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam, in qua Filius hominis veniet.

CONCIONES.

commendatur.

- II. Virginum præscripta.
- II. Cur fatuæ dicuntur quinque virgines.
- IV. Quas aureolas S. Catharina meruerit, et quam dissimilis ei Catharina de Bore, Lutheri pelle
- V. Adventanti Christo iudici quomodo obviamdum.
- VI. Tempus bene expendendum.
- VII. Cur voluerit Deus horam mortis nobis esse ignotam, et vitam nunc brevioram quam olim.

CONCIO I.

VIRGINITAS COMMENDATUR.

- I. A ss. litteris. — II. A propria dignitate. — III. A multiplici immunitate. — IV. A præmio et decreto. — V. Ab inmensio virginum choro.

THEMA.

Tunc surrexerunt omnes virgines illæ et ornaverunt lampades suas. Matth. XXV.

Audivimus, auditores, virgines dormivisse, quoad venerit sponsus. At ubi sponsus venit: Tunc surrexerunt virgines, inquit sacer textus, et ornaverunt lampades suas. Quid hic mysterii latet! Sponsus esse Christum nihil dubitamus:

VIII. Quomodo damnatis omnis spei janua præclusa sit.

IX. Mysteria.

CONCIONES AUCTIONARIUM.

- I. Puritas mentis quantum bonum.
- II. Gladius S. Catharinæ, seu castitas virginialis, suadet.
- III. Fueritne Catharina virgo sapiens.
- IV. Magna S. Catharinæ fortitudo.
- V. Pœna inferorum cur ostensa.

Hic antequam in terras venerit, dormierunt omnes virgines aut certe dormitaverunt, hoc est, sepulta erat virginitas, aut saltem obscura et in paucis hominibus, ita ut fere miraculum esset. Ast ubi Christus sponsus virgo de virgine processit in hunc mundum, tunc evigilaverunt et surrexerunt virgines, votoque, vel proposito virginitatis ornaverunt lampades, id est, corpora sua, tunc et privatæ ædes et integra monasteria impleta sunt virginibus, Christi exemplum imitantibus. Unde Sanctus Ambrosius, lib. I. de virginitate ait: *Quis neget hanc vitam fluxisse de cælo quam non facile invenimus in terris, nisi postquam Deus in hæc terreni corporis membra descendit?* Et Gregorius Nazianzenus, in orat. exhortat. ad vir-

gines: «Olim, inquit, cum lex erat et umbra cæremoniarumque temporariæ, tum primatum habebant nuptiæ tamquam adhuc infantes: postquam vero emigravit littera subinductusque est spiritus, et Christus cum processisset ex virgine, in carne passus est, tunc effulsit castimonia dividens mundum.» Ergo ante Christum flos virginitatis peregrinus erat in terra: ast ubi illum de cælo attulit, factus est communis. Voluit autem Deus pulcherrimum hunc florem reservare ad tempora gratiæ, quibus non tam providendum erat quomodo mundus brevi ruiturus impleretur hominibus, quam quomodo cælum virginibus aliisque sanctis. Hunc igitur nobilem florem, auditores, cuperem hoc tempore magis esse communem, quem si bene novissent juvenes, utique multi eum in hortulo suo plantare satagerent. Ergo inspicimus illum.

I. Commendant virginitatem sacræ litteræ veteris et novi testamenti. In veteri per Isaiam inquit Dominus, cap. LVI. *Dabo eis (eunuchis) in domo mea, et in muris meis locum, et nomen melius a filiis et filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit:* eunuchos, intellige spirituales, cœlibes et virgines, de quibus etiam locutus est Dominus, Matth. XIX. *Sunt eunuchi, qui seipso castraverunt propter regnum cælorum. Qui potest capere capiat,* quasi diceret: Excelsa est hæc virtus, quam non omnes capiunt. Eadem commendat multis et suadet tamquam rem conjugio longe præstantiorem apostolus, I. Cor. VII. Denique, S. Joannes, Apoc. XV. vidit in spiritu supra montem Sion 144. millia virginum Agno assistentium, et cum eo ambulantium quocumque ibat. Quæ omnia ad commendationem virginitatis dicta esse nemo non videt et nos inframelius videbimus.

II. Commendat status, eminentia et dignitas, supra status conjugii et viduitatis. Hoc enim sibi vult visio Joannis, qua cuneum illum virginum vidit supra montem Sion, sequentium Agnum, quocumque iret: supra montem enim stant.

Primo: *Quia in altissimo virtutum culmine,* ait Sanctus Gregorius, lib. V. in lib. Reg. cap. III. *Posita est virginitas cum Deo potius in cælo vivens, quam hominibus in terra. Virgo enim,* ut ait apostolus, *cogitat quomodo Deo placeat; nupta quomodo viro.* Unde Sanctus Aldelmus occidentalium Saxonum episcopus scribit sub annum Domini 680. tom. V. biblioth. ss. patrum, in lib. de laudibus virg. cap. III. «Cum tres sint status in Ecclesia, virginitas, cœlibatus et conjugium, ex revelatione angelica didicimus, si meritum ratio habenda est, has inter virtutes constituendum esse ordinem, ut sit virginitas aurum, cœlibatus argentum, conjugium ærumentum; virginitas pax, cœlibatus

redemptio, conjugium captivitas; virginitas divitiæ, cœlibatus mediocritas, conjugium paupertas; virginitas sol, cœlibatus lucerna, conjugium tenebræ; virginitas regina, cœlibatus domina, conjugalitas ancilla.» Sic ille. Ad idem spectat, quod scribit Sulpitius, in vita Sancti Martini, dial. II. cap. XI. «Sanctus Martinus, ait, videns pratum, cujus unam partem boves depaverant, secundam porci suffoderant, tertiam illasam, quæ diversis floribus quasi picta vernebat, dixit: Prima pars speciem gerit conjugii, quæ a pecora depasta, et si non penitus gratiam amisit herbarum, nullam tamen florum retinet dignitatem: secunda, quam porci, pecora foderunt, fornicationis fœdam imaginem præterdit: tertia, quæ nullam sensit injuriam, gloriam virginitatis ostendit; unde herbis fœcunda luxuriat, fœni in ea fructus exuberat, et ultra omnem speciem distincta floribus, quasi gemmis micantibus ornata radiat.»

Secundo, quia virginitas supra terram elevata et angelis cognata est. Eo enim imprimis pertinet id quod dixit Dominus, Matth. XXII. *In resurrectione neque nubent neque nubentur, sed sicut angeli Dei in cælo:* ergo virgines sunt sicut angeli. Id quod expresse scribunt multi sancti patres, Cyprianus, Augustinus, Bernardus, Tertullianus, et alii. Imo Sanctus Bernardus, epist. XLII. castitatem angelorum, ait, esse quidem felicioram, castitatem tamen virginum esse fortioiorem. Ratio est, quia ut ait Sophronius inter opera Sancti Hieronymi, sermon. de assumpt. *Esse angelum felicitatis est, esse vero virginem virtutis, dum hoc obtinere nititur ex gratia quod habet angelus ex natura.* Hinc virgines præsertim Deo sacræ maximo semper in honore habitæ sunt. Sanctus Ignatius, in suis epistolis salutare eas honorifice insuevit: et in epist. ad Hieronem: *Virgines serva,* inquit, *ut pretiosa Christi monilia:* et in epist. IV. ad Tarsenses: *Eas,* inquit, *quæ in virginitate degunt, in pretio habete, velut Christi sacerdotes.* Eadem præ reliquis omnibus Constantinus Magnus in pretio habebat, (ut scribit Sanctus Athanasius, in apol. ad Constantinum ejus filium) et in earum mentibus Deum ipsum, cui se consecrarant, inhabitare credebatur, ideoque virginum chorum tantum non adorabat (ut scribit Eusebius, lib. IV. vitæ ejus, cap. XXVIII.) unde etiam alimenta ejus ex publico dari jussit, teste Theodoretto, lib. I. histor. cap. XI. Helena item mater ejus cum esset Jerosolymis, quas ibi reperit virgines sacras, ad prandium invitare, iisdemque inservire, aquam effundere et cibos apponere consuevit, teste Rufino, lib. I. cap. VIII. Quinetiam gentiles hongrem detulerunt virginibus eumque non vulgarem. Ves-

talibus Romanis consules, imperatores et in curru triumphantes de via cedere solebant, ut scribit S. Hieronymus, libro I. contra Jovinianum. Etsi illæ casu obviassent alicui, qui ad supplicium duceretur, necari eum non licebat, Plut. in Numa, lib. XXVIII. cap. IV.

Tertio, quia res ardua et difficilis est, unde eam Christus noluit præcipere, sed proponere tantum velut scopum optimis jaculatoribus: *Qui potest capere, capiat.*

Quemadmodum enim in pagis solet statui pertica seu arbor alta, in cujus summitate pendeat corona vel aliud munusculum adrepentibus propositum ad juventutis exercitationem: ita etiam virginitatis corolla proposita est a Christo strenuis militibus, ad eam conniti volentibus. Cujus rei typus fuere dæ illæ columnæ aureæ ante vestibulum templi collocatæ; nec aliud in summitate præter lilia sustinentes, III. Reg. VII. quod non sine labore scilicet ad lilia virginitatis pervenire queat, iisque sustinendis magno robore, et gratiæ præsidio opus sit.

III. Commendat immunitas et exemptio ab oneribus conjugalibus et Evæ triplici maledictione, quod Fulgentius, serm. de laudibus virg. eleganter indicat: « Evæ, inquit, dictum est, in doloribus et tristitia paries, et ad virum conversio tua, et ipse dominabitur tui. Tribus ergo his malis se subjugant feminae, quæ Mariam non sequuntur, dolori, tristitiæ et servituti. » Eximunt se vicissim, Mariam quæ sequuntur, virgines nimirum. Quare apostolus, I. Cor. VII. ait, bonum esse non habere *propter instantem* (id est, incumbentem) *necessitatem*, seu, ut mox explicat, *carnis tribulationem* quam habent conjugati; cujusmodi sunt onus uteri, partus dolores, educatio liberorum, curæ timores, zelotypia, rixæ, familiaris apparatus, opum, affinitatum, statuum curandorum et augendorum sollicitudo, mariti dominatus, cholera, ebrietas, prodigalitas, paupertas, orbitas, et ex his perpetua animi distractio et occupatio, mors denique omnia subvertens. Quare si qua est in conjugio gutta mellis, ea compensatur integro fellis dolio.

Primo enim, a conceptu subeunt mox fastidia, insomnia, vertigines, melancholiæ, præcordiorum angustia, appetentia rerum absurdarum, partus dolores acerrimi, qui multis mortem afferunt, vel alia damna aut incommoda.

Secundo, proles edita continuo mundanda, cibanda, infascianda, vestienda, reclinanda, in cunis agitanda et cantu mulcenda, ut dormiat, crepitanda ut taceat, ferendi ejus ploratus, toti denique dies ac noctes ei impendendi, ita ut vix templum festivis adire diebus queat mater ad

missam audiendam. Omitto sordes, pedorem morbos, pericula matrum et infantum, qui sæpe nascuntur misere caeci, claudi, manci, etc.

Tertio, proles grandior facta majores parit curas, molestias et dolores. Quantus enim dolor, si contigit eam extingui, si malorum consortio ad flagitia, furta vel homicidia ac demum ad publicam infamiam et dedecora abripi? Quid si rebellem se parentibus exhibeat? Quid si alca et poculus bona illorum dilapidet? Quid si iis inconsultis vel reclamantibus matrimonio se involvat? Ob hæc et alia plura incommoda Sanctus Augustinus secutus S. Ambrosium nulli unquam voluit conjugium suadere, hæcque tria homini Dei servanda monebat, inquit Possidonius, in ejus vita, cap. XXVII. Primum, ut uxorem cuiquam nunquam posceret: secundum, ut militare volentem, ad hoc non commendaret: tertium, ut in sua patria petitus ad convivium non iret; causamque singularum daret. Primi, nedum conjugati inter se jurgantur, eum maledicant per quem conjuncti sunt: secundi, ne militiæ commendatus male agens suam culpam suffragatori tribueret: tertii, ne per frequentiam in patriæ conviviis constitutus temperantiæ amitteretur modus. Ob eandem causam Thales ille Milesius, unus e septem sapientibus matrimonium vitabat, junior enim suadenti matrimonium matri nondum esse tempus dixit: major natu cum esset, eidem instanti, non amplius esse tempus respondit, Laert. lib. I. Solonem vero, qui contra sentiebat, hac arte convicit. Cum enim essent una, fictum submisit Soloni nuntium, qui diceret filium ejus extinctum esse. Quæ res cum ita Solonem perculisset, ut de potestate mentis exiisse videretur, tum Thales: *Hæc me, Solon, a nuptiis dehortantur quæ te hominem fortissimum impingunt.* Recte etiam alius quidam philosophus Myrthus rogatus cur uxorem non duceret, respondit: « Si probam duxero, eam cogar relinquere in morte; si improbam multo ab ipsa patiar; si pauperem, eam alere debeo; si divitem, ejus impropria et jactantiam audire cogar; si turpem, eam odisse debeo; si pulchram custodire eam semper debeo. Et pessimum omnium est, quod ei libertas mea tradenda est, ipsa tamen gratias mihi non agit. »

IV. Commendat præmium excellentissimum virginitati decretum. Id explicant encomia, quæ sequuntur in visione S. Joannis de virginibus. Nam primo, erant cum Agno, et habebant nomen Agni et Patris ejus scriptum in fontibus suis, quod indicat fore eas in cælo conspicuas velut Christi sponsas et amicos intimos et familiarissimos, ut qui etiam nomen ejus sibi commune gerant, quem

in vita minime erubuerunt, sed glorificaverunt et portarunt etiam in corpore suo, conformando nimirum corporis sui integritatem cum integritate corporis Christi. Quare licet in terra non fecerint sibi nomen per sobolis progeniem posteris relictam; sortientur tamen ejus loco nomen in cælo longe melius et majus, cum vocabuntur sponsæ Christi et intimi amici; quod prædictum ab Isaia, loco initio citato: *Dabo eis in domo mea et in muris meis locum, et nomen melius a filiis et filiabus, nomen sempiternum, etc.* Si enim Elcana, I. Reg. I. Annam uxorem suam sterilem consolari his verbis potuit: *Numquid non ego melior tibi sum quam decem filii?* quanto magis contentæ in cælo virgines erunt, cum pro liberis suis, quos habere poterant, sortientur in cælo sponsum regem cælorum?

Secundo, habent vocem tamquam aquarum multarum et tonitruum magni, item sicut citharædorum citharizantium; quod præmium ad hanc vitam spectat, in qua ex peculiari Dei beneficio virgines habent vocem formidabilem hostibus et lenonibus, suavem vero ac gratam Deo et cælitibus. Primi generis vox erat illa S. Agnetis ad impudentem procum: *Discede a me pabulum mortis, quia jam ab alio amatore præventa sum:* et illa S. Agathæ ad Quintianum amores ejus ambientem: *Multo præstantior est christiana humilitas et servitus, regum opibus ac superbia:* et rursum illa: *Crudelis tyranne non te pudet amputare in femina, quod ipse in matre suxisti?* Quo tempore urbs tota terræ motu contremuit: et illa S. Cæciliæ ad Valerium sponsum gentilem: *Ego Valeriane, in angeli tutela sum qui virginitatem meam custodit, quare ne quid in me committas, quo ira Dei concitetur.* Annon hæc tonitrua et bombardarum sonitus? Taceo similia in masculis virginibus, Bernardo, Aquinate, Francisco, Vincentio Ferrerio, etc. Quam vero hostibus formidabilis, tam Deo grata est vox virginum tamquam citharizantium, quia per carnis suæ edomationem concinnarunt corpus ejusque vires, membra et passiones veluti chordas, cum spiritu et cæteris virtutibus: quod profecto raram et pulcherrimam facit harmoniam, quando scilicet possunt canere: *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum.*

Tertio, cantabant canticum novum, quod nemo alius poterat dicere; quia ut ait S. Gregor. III. parte pastoral. admon. XXIII. *Cum Agno in perpetuum præ cunctis fidelibus etiam de incorruptione carnis gaudent.* Cæteras enim virtutes cum aliis sanctis communes habent, sed hanc habent peculiarem, cui debetur peculiaris aureola, virginitatis scilicet, ad quam aspirare cæteri sancti nequeunt,

quia et virginitas semel amissa reparari nequit. Hinc ex majorum instituto solis datur virginibus corollas de floribus in capite gestare. Idem hoc videtur sibi velle, quod subditur, virgines sequi Agnum quocumque ierit. Sequuntur enim illum non ad ea tantum gaudia, quæ aliis sanctis communia sunt, sed etiam ad gaudia virginitatis, cum, ait S. Augustinus, de virginit. cap. XXVII. *In decore virginitatis incedit quod cæteri non possunt.* Ob eandem causam vocantur ibidem primitiæ de terra emptæ Deo et Agno, id est, fructus optatissimi et selectissimi, qui per virginitatis votum et propositum saltem Deo se consecrarunt, ut liberius ei servirent.

V. Commendat ingens et splendidissimus virginum exercitus, cujus dux et antesignanus est Christus, Agnus inquam ille, quem sequebantur virgines illæ 144000. ut vidit S. Joannes, Apoc. XIV. Verum illæ virgines erunt solummodo tempore antichristi, ut patet ex illo capite. Longe major ergo virginum numerus est, si in universu colligatur. Harum primaria est si Deipara, quam sequitur Joannes Baptista et apostoli plerique, post hæc virgines quam plurimæ quæ hortatu apostolorum votum virginitatis edidere et tenere in privatis ædibus, antequam monasteriorum usus esset; uti SS. Praxedis et Pudenciana hortatu S. Petri; Thecla et plures alii hortatu S. Pauli; Iphigenia hortatu S. Matthæi; Flavia Domitilla hortatu S. Clementis, etc. Quibus succedere in numero monachorum et monialium agmina, præsertim in Ægypto a tempore S. Antonii et postea in occidente, ordo S. Benedicti celeberrimus alique eum secuti per Europam undique diffusi. Neque vero in cœlibatu tantum, sed et in matrimonio non pauci extiterunt, qui Josephi et Deiparæ conjugium illibatam et ipsi imitati fuerunt, uti S. Eduardus rex Angliæ cum conjugio, S. Henricus imperator cum S. Cunigunde, et alii. Neque desunt, qui mori maluerunt virgines, quam dispendio virginitatis etiam per honestum conjugium, vitam conservare: cujusmodi fuit S. Casimirus dux Lithuanicæ filius Casimiri regis Poloniæ, qui cum in morbum incidisset, medicique dicerent, vitam ei prorogari nisi uxore ducta non posse, respondit: *Eligo virgo mori, non enim novi aliam vitam nisi celestem immortalitatem,* ut in ejus vita. Quid memorem porro eos, qui stupenda alia facere vel pati maluerunt, quam florem virginitatis insidiantibus prodere? Euphrasia virgo sub Diocletiano, ad lupanar ducta, ut lenonem deciperet, veneficam se simulans et pharmacum ei promittens, quo foret invulnerabilis, collo inuncto in se periculum fieri suasit, quo sic obruncato virginitatem servavit, uti contigit,

Baron. anno 209. Ebba Colinghamensis monasterii in Scotia abbatissa cum Dani irrupissent, metuens suæ et sororum castitati, arrepta novacula, nasum sibi, et labrum superius usque ad dentes abscidit, quod exemplum secuta sorores, horrore fuerunt militibus, Baron. anno 870. aliæ se in flumen merserunt ne violarentur, uti S. Pelagia cum matre et sororibus, apud Sanctum Ambrosium, lib. de virgin.

Atque hæc omnia intelligenda sunt de virginibus utriusque sexus. Secundo, tam de virginibus quæ domi, quam de iis, quæ in monasteriis degunt. Primis enim temporibus Ecclesiæ, cum monasteria nondum essent, domi servabant virgines votum virginittatis, quod adhuc vigeat tempore S. Gregorii papæ, qui id testatur de tribus sororibus sibi cognitis. Tertio, non de iis tantum, qui ex voto, sed etiam de iis, qui ex proposito tantum, (absque voto) servant virginittatem et licet interruptum sit saltem in articulo mortis, sufficit ad corollam virginittatis obtinendam. Quæ cum ita sint, mirum profecto est quod tam pauci nunc inveniuntur extra monasteria cælibes et virgines. Quam pauci filii et filia, servi et ancillæ, qui in ædibus parentum vel dominorum virgines consenscant? Et si tales inveniuntur, non tamen id agunt ex proposito, sed quia non occurrit occasio nuptiarum. Quid vero hoc est aliud, quam servire velle gratis, cum possis grandi mercede? Non ergo virgines illæ inter fatuas computandæ sunt? Sed his insipientiores sunt, quæ cum nihil possideant, tam audacter nubunt: stultissimæ vero quæ thesaurum suum produnt et prostituunt. O quanto rectius agerent illi filii et filia, servi vel ancillæ, si se cum proposito virginittatis addicerent, tota vita servitiis parentum vel herorum suorum? Quanta evitarent mala, quanta lucrarentur bona? Atque has computandas dicerem in numero sapientum, quia non in lampadibus tantum, sed in vasis etiam acceperunt secum oleum, dum suam virginittatem non ad tempus tantum, sed semper conservare statuerunt, etc. Surgite ergo et evigilate virgines, ornate lampades vestras.

CONCIO II.

VIRGINUM PRÆSCRIPTA.

- I. Expectent sponsum suum. — II. Ornent lampades suas. — III. Socient se bonis suisque similibus. — IV. Fugiant publicum. — V. Silentio assuescant. — VI. Custodiant vas suum.

THEMA.

Simile est regum cælorum decem virginibus.
Matth. XXV.

Præclara virtus est virginittas, sed si comitem habeat prudentiam. Virginittas sine prudentia lampas est accensa, qualem habuerunt fatuæ: virginittas cum prudentia lampas est accensa, qualem habuerunt prudentes. Qui de nocte sine lumine incedit, sæpius impingit: non item, qui secum fert lumen. Patet in his virginibus: prudentes enim caute et prudenter ambularunt; fatuæ incaute et sæpe impegerunt. Utram ergo, o virgines, partem pro magistra vobis elegitis, fatuas an prudentes, cæcas an videntes? Non arbitrator hic deliberandum; quis enim fatuum et cæcum sequi malit, quam prudentem ac videntem? Quid vero prudentia virginibus agendum dicet, nunc audiamus.

I. Virgines istæ expectarunt sponsum suum, illi se ornarunt, illi se compserunt; sed prudentes efficaciter, et constanter, fatuæ non item. Primum hoc est, et fundamentale virginum documentum, ut si nubere cogitent, primum suum amorem primo sponso suo reservent, et ubi eum nactæ sunt, illi se uni comant, et placere querant. Non ergo passim obviis quibusve familiares se exhibeant, aut amorem suum pluribus impendant. Signum enim hoc est lenitatis animi in plura divisi, unde fit, ut quæ pluribus placere volunt, nulli vere placeant. Similes, imo propinquæ sunt meretricibus, quæ modo huic, modo illi adhærent amatori, interim nullum sincere amant. Vulpes crebris venationibus agitata difficile retibus ita includitur, ut exitum non inveniatur; flosculus multorum manibus tritus odorem et decorem facile deperdit, ita puellæ pluribus procorum amoribus affricatæ, et quasi agitatæ fidem maritis suis et florem pudicitia vix servabunt. Hujusmodi autem fere sunt illæ, quæ choreas frequentant, et convivia aliique promiscui sexus conventicula. De choreis nil dicere melius possum, quam quod de boletis dicunt medici: optimi quique nil valent. Boleti enim ut scribit Plinius, lib. XXII. cap. XXII. temere mandantur, quia non tantum excrementa sunt terræ, sed etiam a serpentibus facile venenum attrahunt, cum

spongiosi sint. Eadem ratio suadet fugiendas esse choreas, quia sunt reliquæ et quasi excrementa ethnicismi: et propterea quia in choreis nunquam desunt aliqui serpentes, qui virus impudicitia afflare aliis soleant, et inveniunt plerumque animos saltantium ad hoc recipiendum dispositos. Idem de fungis scribit Plinius, capite sequente: «Familias, inquit, nuper interemere et tota convivia, Anneum Serenum præfectum Neronis vigiliam, et tribunos et centuriones.» Subditque mox: «Quæ voluptas tanta ancipitis cibi?» Lege XXXII. cap. Exodi et videbis ob choreas multa hominum millia perempta. Et quæ voluptas tam ancipitis ludi? Pro antidoto horum fungorum capiant puellæ exemplum illius Saræ, filia Raguelis, quæ in sua ad Deum oratione, inter alia inquit: *Tu scis, Domine, quia nunquam cum ludentibus miscui me*, Tob. III. Ludum vero choreas intelligit, ut advertit Hugo cardinalis ibi, et patet Exodi XXXII. *Surrexerunt ludere*, id est, choreas ducere: *Ludus iste diaboli ludus est*, ut quidam pius dixit apud Cæsarium, lib. IV. capit. XI. Quod si tamen aliquando choreas fugere nequeunt, saltem caute agant, et bonam intentionem habeant. Sic comedi et boleti absque noxa possunt, si bene cocti et piperati sint. Quod si aliqua sponsum sibi elegerunt Christum, servant et huic amorem suum integrum et illibatam. Ipse enim animarum maximus zelator est, nec procum aliquem sponsæ suæ juxta se ferre potest.

II. Virgines illæ ornaverunt lampades suas. Sed quomodo ornarunt? Euthymius et Abulensis dicunt: *Infundendo oleum et emungendo ellychnium*, quod sane fatuæ non fecerunt, quia oleo tunc caruerunt. Decor ergo virginum in anima potius quam in corpore situs et procurandus est, juxta id apostoli, I. Corinth. VII. *Virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu*: corpore per castitatem, spiritu per inhabitantem Spiritus sancti gratiam. Iis porro, quæ nuptias expectant, non inhibetur ornatus decens, reprobatur tamen lascivus, I. Petr. II. *Non sit extrinsecus capillatura aut circumdatio auri, etc.* Sed interim suadetur magis animæ ornatus. Cæteris vero ad quid ornatus? Si quis non vult vendere, ad quid expandit in fero tentorium? Si non vult venari, cur expandit rete? Si neminem peregrinum vult admittere in hospitium, cur non dejicit a foribus clypeum? Huc pertinet quod S. Hieronymus scribit de Sancta Paula, quæ si vidisset virginem aliquam comptiorem, frontem contrahabat, et vultus severitate arguebat errantem, dicens munditiam corporis atque vestitus, animæ esse immunditiam. Sed qua ratione, dicent, ornabimus lam-

pades nostras? Duplicem modum indicavimus *Infundendo oleum et emungendo ellychnium*. Primum, fit studio honorum operum, eorum præsertim quæ virginittati conservandæ inserviunt, uti imprimis oleum amoris Christi, omnibus aliis amoribus supernatans; si enim Christum animæ suæ sponsum ardenter amant, minus amabunt homines quoscumque. Deinde, oleum abstinentiæ et jejunii, oleum enim recte jejunantium signum esse, discimus a Christo. Ad hæc oleum humilitatis intus affundendum, non extra allinendum, uti super hodiernum evangelium docet Sanctus Gregorius, cum ait: «Omnes dicuntur virgines, et tamen intra beatitudinis januam non omnes sunt receptæ, quia earum quadam dum de virginittate sua gloriam foris expetunt, in vasis suis oleum habere noluerunt.» Certe Sanctus Augustinus ad initium lib. II. de civit. existimat Deum permisisse, ut in urbis Romæ vastatione virgines Deo sacræ violarentur a barbaris, quod de sua integritate sese extulissent inflatius. Alterum fit crebra peccatorum expiatione per confessionem et communionem. Hoc enim quasi emunctorio purgatur a facibus gratiam offuscantibus anima, et accipit novum ardorem, puritatem et charitatem.

III. Virgines ierunt cum virginibus: nulla de altero sexu mentio: prudentes etiam separarunt se a fatuis sapienti consilio: *Ite potius ad vendentes, etc.* Viderint ergo virgines, quibus se associant. Securius enim cum suo, quam cum virili sexu ambulant. Quod si cum hoc quoque agendum, citius se expediant: fugiant autem impuros, quemadmodum apes fumum, cadavera et fætores, imo et venereos, teste Pierio, lib. XXVI. hierogl. Pro exemplo sibi proponant Sanctam Cæciliam, quæ etiam sponsum a se arcuit, quæ mobrem de ea jure canit Ecclesia: *Cæcilia famula tua quasi apis argumentosa tibi deservit*, quia scilicet miro artificio et animam suam servare, et alienis lucrari noverat. Corpora hominum instar vitrorum sunt, quæ franguntur levi allisu. Et velut poma marcida inficiunt ea quæ attingunt: ita una persona impudica aliis præsentibus pedorem suum affricat. Aqua, quantumvis limpida, e qua bibit equus, statim sordes, contrahit: ita impudicus quicquid tangit, inficit. Non frustra S. Joannes grandem illum virginum chorum supra montem vidit longe ab hominibus positum, quia per hoc indicatum est, veras et sapientes virgines a promiscua hominum communiione se debere segregare, et cum sui similibus vivere, Apoc. XIV.

IV. De nocte obviarunt sponso, quamquam non absque lumine, quod tamen in revertendo non